Aceti rosac. ℥ß.
Misce pro frontali.
℞. *Nucl. Persicor.* ℥ß.
Sem. Pap. alb. ʒij.
Aqu. Sperm. Ran.
Plant. ana ℥iij.
F. Emulf. cui add.
Nitr. depur. ʒij.
M. detur ad Vitr. pro epithem.
℞. *Pulv. Styptici* ℥j.
Inspergatur stupæ cannabinæ, vel *Crepitui Lupi, Albumine Ovorum prius obducto, & applicetur Vulneribus nimium cruentantibus.*
℞. *Aceti comm. vel*
rosac. ℥iv.
F. exinde cum linteo & spongiâ epithemata.

CAPUT IX.

De Sinapismis & Vesicatoriis.

§. 1.

PLerique Authores *Sinapismis* & *Vesicantibus* præponunt Remedia dicta *Attrahentia*, quibus sibi imaginantur humores ad partem aliquam debitos & utiles attrahi, sicque *Atrophiæ*, *Aridurae*, & *Paralysi*, imò & incipienti *Sphacelo* medelam afferri posse. Quòd si autem rem accuratius perpendamus, & simul in animum revocemus, tractionem in Naturâ vix ullam dari, protinus & Attrahentium vocabulum exauctorandum censebimus, utpote cùm omnia Remedia hacce Tabulâ contenta potius sint summè Resolventia, Discutientia ac Volatilisantia, vel etiam Emollientia, strictosque aut aridos tubulos Laxantia. *An dentur attrahentia?*

Quâ de causâ Humores ad partem aliquam fluant?

§. 2. Quòd si verò contingat, humores ad partem aliquam pro intentione Medici fluere, id unicè vel tubulorum quorundam erosioni, in quâ Lympha propter motum suum circularem impeditum extravasatur; vel pulsioni & constrictioni in Cucurbitularum applicatione, vel suctioni per Hirudines applicatas adscribendum venit. Quam ob rem major est habenda ratio Sinapismorum, Vesicantium, Hirudinum & similium, de quibus sigillatim aliqua notabimus.

Definitio & Synonymia.

§. 3. Itaque *Sinapismi*, *Phœnigmi*, *Rubefacientia* dicuntur talia Medicamenta, quæ particulis quibusdam causticis & corrosivis, externæ, cui applicatæ sunt, Cuti ruborem & leviculam Inflammationem inducunt; Vocantur hinc *Phœnigmi* & *Rubefacientia* à rubore inducto; *Sinapismi* verò à *Sinapios* semine, quod subinde basin ejusmodi remedii facit. Quandoque *Dropax* aut *Picatio* audit, propter picem, ceu rem glutinosissimam admixtam.

Discrimen inter Rubefacientia & Vesicantia.

§. 4. Variant autem hæc remedia, quatenus nunc majorem, nunc minorem & leviorem inducunt ruborem, imò & *Vesicatoria* atque *Caustica*, non nisi gradualiter ab ipsis *Rubefacientibus* differunt, ita quidem ut *Picatio* sive *Dropax* pro primo gradu, *Sinapismus* pro secundo, *Vesicatorium* pro tertio, tandem *Causticum* vel Καυστικὸν pro quarto gradu in hoc remediorum genere constituendum sit. Quòd si tamen *Caustica* in minori quantitate adhibeantur, tum subinde nonnisi Vesiculas excitant, si Vesicatoria mitiori quantitate applicentur, non Vesicas, sed solùm ruborem inducunt.

Usus Rub.

§. 5. Quod ergo jam *Rubefacientia* specialius attinet, non in veteri tantùm, sed & hodiernâ Medicinâ frequens eorum usus existit, variis in morbis,

bis, & quidem non nisi ad Lympham alicubi stagnantem, doloremque excitantem, resolvendam & discutiendam, vel saltem ita incidendam, ut non amplius in partibus affectis stagnet: Quale quid si contingit, facilè etiam quicquid alicubi hæsit & stagnavit, sensim in particulas subtiliores resolutum abscedit; hinc ergo Remedia ejusmodi pro *Dentium*, *Oculorum*, *Capitis dolore*, temporibus, nuchæ, imò etiam bregmati, subinde non sine successu applicantur. In doloribus verò aliarum partium, & musculorum inprimis, affectis quoque Locis apponuntur.

§. 6. *Materia Rubefacientium* diversa quidem est, sed talis tamen, ut constet particularum volatilium acrimoniâ salino-aromaticâ, quâ facilè penetrare in profundum queant, stagnantesque ibi humores resolvere, atque ad pristinam fluiditatem reducere; dum interea in cute extremâ fibrillas tubulorum capillarium sanguiferorum suâ acredine irritant, & leniter sic adducendo sanguineas plures vel subsistere, vel tardius progredi faciunt, ac eapropter partis ruborem inducunt. Referimus ergo in hanc Classem *Radices Cyperi*, *Galangæ*, *Zingiberis*, *Pyrethri*, *Aronis*, *Imperatoriæ*, *Hellebori*, *Herbas Flammulæ Jovis*, *Pulsatillæ*, *Ranunculorum*, *Semina Sinapi*, *Erucæ*, *Nasturtii*, *Cochleariæ*, *Fermentum acre*, *Acetum forte*, *Gummi Elemi*, *Sagapeni*, *Picem*, &c. *Materia Rubef.*

§. 7. Forma autem, quâ adhibentur, vel *Cataplasmatis* est, vel *Sacculorum*, vel *Emplastrorum*, prout sequentia exempla usitata testari possunt: *Formulæ.*

Formulæ Rubefacientium.

℞. *Ferment. acerrim.* ℥ij.
Radic. Allii rec. num. j.
Semin. Sinapi. ℥j.

Incisa

Incisa & contusa M. invicem in formâ Cataplasmatis, quod in Cephalalgiâ nuchæ, vel utrique plantæ pedis applicari potest.

℞. *Semin. Eruc.*
Sinap. ana ʒij.
Cantharid. ʒß.
Contunde invicem probè & adde
Herb. Rutæ hortens.
Majoran.
Persicar. ana ℳj.

Et inde fac Cataplasmata duo, aceti guttulis aspergenda, hincq; calidiusculè plantis pedum applicanda, in Phrenitide, Cephalalgiâ, Ophthalmiâ, aut Odontalgiâ, &c. Vel

℞. *Herb. Persicar.*
Piperit. vel Lepidii ana ℳj.
Radic. Raphan. rustic. ʒij.
Cepar. ʒiij. *vel* ℥ß.

Incisa & contusa tenuiter adspergantur Aceti acris calidi cochleari uno aut altero, & redacta in duo Cataplasmata applicentur plantis pedum in Affectibus superius citatis.

℞. *Herb. Cerefol.*
Cochlear.
Rutæ hort.
Raphan. rustic. ana ℳj.
Incisis & contusis probè permisce
Ferment. acris ℥ß.
Semin. Sinap. pulver. ʒiij.
Salis commun. ʒij.

Fiant Cataplasmata superiori modo applicanda. Vel

℞. *Semin. Sinap.* ʒij.
Ammios ʒj.
Canthar. ʒß.

M. F.

M. F. Pulv. subigend. cum Cer. atque Tereb. ana q. s. ac Fiant Emplastra thaleri magnitudine, retrò aures, vel temporibus applicanda. Vel

℞. *Gumm. Tacamahac.*
Mastich.
Myrrh. ana ʒij.
Semin. Sinap.
Radic. Pyrethr. ana ʒj.
Euphorb. ʒß.
Terebinth. & Cer. ana q. s.

M. F. l. a. Emplastrum, quod linteo superinductum applicari potest, thaleri aut majori magnitudine carpis manuum, femoribus, aut suris pedum, in *Rheumatismo, Doloribus Ischiadicis*, aut *Doloribus lymphaticis musculorum*, vel etiam inde Emplastra contra *Dolores dentium* temporibus applicanda fieri possunt.

℞. *Folior. Lepidii,*
Raphan. rustic.
Pulsatill.
Flammul. Jovis ana Mß.
Semin. Sinap. ℥ß.
Radic. Imperator.
Galang. ana ʒij.

Incisa & contusa tenuiter insuantur Sacculis, nuchæ vel plantis pedum applicandis.

§. 8. *Vesicatoria* sive *Vesicantia* remedia, vesicam nunc unam majorem, nunc plures minores, in partibus, quibus applicantur, cutaneis suâ acrimoniâ excitant, atque ichorosum vel serosum flavidiusculum humorem proliciunt. Materia horum Vesicantium eadem esse solet cum materiâ Rubefacientium; sed si pustulas producere debeat, majori dosi præscribatur, & applicetur oportet. Variis autem in Affectibus Vesicatoriorum usus est pro- *Vesicatoria*

proficuus, v. gr. in *Cephalalgiâ* bregmati & nuchæ applicata; in *Ophthalmiâ* nuchæ; in *Odontalgiâ* nuchæ & ponè aures; in *Apoplexiâ*, *Paralysi*, aliisque *Affectibus soporosis*, nuchæ, brachiis ac pedibus, in *Dolore Ischiadico* femori, in *Bubonibus pestilentialibus*, aut *Morsu animalium venenatorum*, ipsis partibus affectis admovenda. Quæstio heic incidit, *utrum in Febribus malignis Vesicatoriorum quoque usus concedendus sit*? Neque enim nos latet, quantopere inter se disceptârint, Medici tam prioris, quàm hodierni seculi, aliis Vesicatoriorum usum maximè noxium, aliis verò apprimè utilem statuentibus. Nos heic cum distinctione respondendum esse arbitramur; Quando enim ægri hoc malo laborantes valdè delirant, quando somnolenti existunt, quando sudoribus non sufficientibus prehenduntur, Vesicatoria non sine fructu applicari posse, multiplici hactenus experientiâ didicimus; quoniam frequenter, post bonam Remediorum talium operationem, ad saniorem ægri redire solent mentem: Ubi verò intensissimus æstus, ubi Convulsiones, vel jam adsunt, vel in procinctu existunt, ubi etiam præsens est ardor Urinæ, cum vigiliis continuis, tum à Vesicatoriis tutius abstineri credimus.

Eorum materiâ. §. 9. Præcipuum Vesicantium ingrediens sunt *Cantharides*, particulis admodum volatilibus, acido acribus, & respectu corporis humani corrosivis, gaudentes, quales particulæ acriores in capite, alis & pedibus, quàm in trunco existere creduntur, ut adeo ab omni tempore externo usu inutilis talium partium selectus institutus fuerit, quin totum insecti hujus corpusculum, nunc majori, nunc minori dosi, ad Emplastra sumi poterit, ordinaria verò dosis pro uno Vesicatorio vix drachmam dimidiam, aut integram excedere debet. Et quidem

dem partim ſub formâ *Emplaſtri*, cum *Cerâ*, *Myrrhâ*, ac *Terebinthinâ*, atque *Semine Sinapi*, *Cantharidum pulvis* permiſcetur: nunc idem in formam Cataplaſmatis cum *Theriacâ*, *Mithridatio* aut *Melle* redigitur, nunc etiam cum *Fermento*, ac *Rad. Raphani ruſticani* ʒj. in paſtam formatur. Omnium tamen commodiſſimam formam credimus eſſe Emplaſtrum, hinc in officinis extat *Emplaſtrum Norimbergenſe Veſicatorium*, quod ſi recens concinnatum ſit, craſſius ſuper alutam extenſum applicetur; ſi verò jam de ſuis viribus nonnihil perdiderit, tum adhuc ℈j. *pulveris Cantharidum* cum tantillo *Spiritûs vini* eidem ſubigatur, antequam parti admoveatur. Veſicatorium pro intentione Medici, nunc magnitudine imperialis dimidii, aut integri, nunc etiam majori applicatur, imò ſubinde in *Iſchiadico Dolore*, magnitudine volæ manûs, femori externo alligatur.

§. 10. Quòd attinet effectum, in aliis ille citius, in aliis tardius apparere conſuevit; tempus verò illorum operationi circiter determinari ſolet ab horis vj. ad horas xij. Si cutis eſt dura & aſpera, atque ſtrigoſa, veſicæ longè tardius excitantur, quàm in cute molli, delicatâ & laxâ. Plerumque autem ad applicandum tale remedium ſolemus eligere tempus matutinum, quoniam noctu propter dolorem quem excitat urentem, ſomnum plerumque turbare ſolet. Nonnunquam unica veſica, eaque major ab hoc remedio ſuſcitatur, aliquando plures ac minores inde puſtulæ producuntur. Excitata autem ſic veſica unica, aut multiplex forſice eſt diſcindenda, hinc ſtatim *folium Braſſicæ crudæ*, aut *Betæ*, aut *Tuſſilaginis*, aut *Calthæ paluſtris*, *Butyro* vel *Oleo* illitum imponi ſolet, atque mane & veſpere renovari, ſicque continuari, donec poſt ſufficientem *Vires.*

cientem ichorosi humoris effluxum, exulcerata cutis cicatrice obduci incipiat, quo tempore *Emplastrum album coctum*, aut *diapalma* diligenter applicatum, ulteriorem sanationem & curationem omnem absolvit.

§. 11. Quemadmodum autem insignem hæc remedia utilitatem variis in Affectibus præstant, ita sine ratione in aliis usurpata manifestam inferunt noxam, etenim *Oedematosi Tumores*, inprimis *Hydropicorum*, *Inflammationes* partium externarum, *Dolor spinæ dorsi*, atque *Arthritis* Vesicatoria ac Rubefacientia talia medicamina planè respuunt, si Experientiæ dictamen consulamus.

Formulæ Vesicantium.

℞. *Cantharid. pulv.* ℥j.
Ceræ & Terebinth. ana q. s.
Misc. f. Emplastrum vesicatorium, cujus ℥ß. *alutæ inducta magnitudine thaleri circiter, cuti prius aceto fricatæ applicetur.* Vel

℞. *Cantharid. pulv.* ʒj.
Euphorb.
Sem. Sinap. ana ℈ß.
Cer. & Tereb. ana q. s.
M. F. Empl. alutæ inducendum magnitud. thaleri & imponendum ut supra.

Vel ℞. *Empl. vesicat. off.* ʒvj.
Inducatur alutæ, & fiat Vesicatorium, temporibus, vel nuchæ, aut vertici capitis raso applicandum.

℞. *Canthar. pulv.* ʒij.
Subigantur cum Fermento panis acri & aceto, vel cum Melle, in massam vesicatoriam, cuti applicandam.

CAPUT